latos, & ad mortem cæsos, Ecclesiæ Martyres in uno Jacobi femore. Nam per *femur* ex sacra Scripturæ usu, intelligi dantur filii, stirpes, semen, ut Genes. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus.* Onkelus, & Jonathas legunt, *de filiis filiorum ejus*, ut qui ex femore descendant per generationis propagationem. Sanè Martyres fortissimi Jacobi filios è femore illius appellites, non secundùm carnalem propagationem, sed secundùm spiritualem; quomodo loquuntur Apostol. ad Rom. 2. 24. &c. 9. 6. Oseas 1. 10. Isaias 44. 1. & cap. 59. 20. Hos Jacobi filios spirituales in illius femore percusso vulneratos, & plagis affectos, & quadammodo ad mortem cæsos, existimaverim Martyres nostros fuisse, typicè in Jacobo fortiter dimicantes, unà cum Christo ipsorum capite, qui in percusso Jacobi femore percussus ipse fuit, quomodo argutè excogitavit S. Ambrosius in Ps. 43. & lib. 2. de Jacob & vita beata cap. 7. *Secreta ei mysteria Dominus revelabat tangens latitudinem femoris ejus, eò quòd ex ejus erat generatione Dominus Jesus oriundus ex virgine, qui Deo nec impar neque inæqualis esset, cujus crucem obstupescentis femoris latitudo signabat.* Vides in femore Jacobi vulnerato Christum ad mortem cæsum, & Crucis martyres informabantur, in Jacobo, & Christo vulneratis vulnerati.

Gen. 49. 10.

S. Ambr. *Jacob luctans Christum præsignabat crucifixum.* Ps. 44. 4.

1087 Nisi mavis in Jacobo Christum præfigurari Cruci suffixum, & quodammodo cum Deo ipso colluctantem: juxta illud Ps. 44. 4. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.* Ubi *gladius* est Chrysostomo, & Hesichio *Crux*, & *femur* caro ipsa Christi: *Accingere ergo gladio super femur: id est, cruce in carne*, ait Hesychius. Ibi diversimodè tactus à Deo est, cruciatus, & vulneratus: & in hoc Christi femore tacti similiter, cruciati, & vulnerati Ecclesiæ Martyres, verè Christi patientis, & è cruce pendentis peculiari timiò filii Patri patienti perfectè configurati. Proinde Apoc. 19. 13. describitur Dominus *vestitus veste aspersâ sanguine*; ubi Augustinus egregiè: *In veste sanguine aspersa Martyres intelligendi sunt*: quasi ipse respersus evadat, & conspicuus non suo tantùm cruore, sed suorum etiam Martyrum sanguine; quos cælestes phalanges appellat equis vectos albis, ac byssо candida, atque munda vestitos: *Et exercitus, qui sunt in cælo, sequebantur eum equis albis, vestiti byssino albo, & mundo.* Ad quæ verba Rupertus lib. 11. *Exercitus ejus Martyres sunt propter ipsum agonizati: nam propter ipsos agones, quos pertulerunt, exercitus dicuntur.* Comitantur Christum fortissimus Martyrum exercitus, quasi socii passionis suæ, & numerosa crucifixi proles in ipso Jesu femore, id est, carne percussa, percussi. Propterea subdit: *Et habebat in vestimento, & in femore scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Ubi per *femur* (ut communiter Doctores explicant) signantur filii, seu propagatio generis; Martyres nempe verè Christi Regis Filii, & Reges.

Martyres cum Christo patiente patiebantur.

S. Augu.

Ruper.

1088 Jam verò, Martyrum colluctationem cum doloribus, & cruciatibus, quibus Deus suam probat ac perficit Ecclesiam, expendere lubet cum S. Nazian. Orat. 3. *Cum igne, cum ferro, & belluis, & Tyrannis, & præsentibus malis, & denunciatis alacri animo, velut in alienis corporibus, imò quasi corporum expertes dimicarunt, ne pietatem, vel verbo tenus proderent.* Similiter S. Ephrem in 2. SS. Martyrum laudatione. Parco innumeris aliis SS. Patrum effatis ad rem hanc. Illud unum observo; eatenus dici Deum ipsum cum Jacobo, & Martyribus nostris colluctari validè, quatenus eis immittit ærumnas, persecutiones, carceres, vincula, tormenta, ac cædes, quibus illorum constantiam, ac robur tentat, & notam facit. *Cum periculum ingruit, cogita Deum, te lanistæ instar, aut gymnastæ, cum acri juvene comisisse*: aiebat appositè Epictetus in Disserta. 24. lib. 1. qui *lanistam* Deum appellat, sic dictus qui laniandis præerat gladiatoribus: Deus autem suis præest Martyribus discruciandis, & dilaniandis per cruciamenta, cum quibus congrediuntur, quasi cum acri, & robusto Antagonista.

cum tormentis. S. Nazia.

Epicte.

1089 Hinc tantoperè exoptata à fidelibus martyrii palæstra; quia colluctatio quædam est cum Deo ipso, non tam doloris, quàm amoris plena; ille enim cruciatibus Martyres afficiendo, non hastâ, non gladio, non sagittis, nec similibus aliis instrumentis, quibus à longè pugnatur, sed implicitis lacertis cum suis servis congreditur, quos vehementer diligit, & quasi indulgentissimus Pater amplexatur. Quod est S. Chrysologi acuta interpretatio Serm. 147. *Hinc est, quòd Jacob fugientem solatur in somnis, redeuntem pro certamine provocat, luctatoris constringit amplexu, ut amaret partem certaminis, non timeret.* Quis enim timeat Christi amplexus? Quis non omni conatu, & precibus, contendat insertis lacertis cum illo colluctari? Hùc venit nominis *Habacuc* etymologia data à S. Hieron. in Prologo commentariorum ad illum Prophetam: *Habacuc vel ex eo quòd amabilis Domini est, vocatur amplexatio, vel quòd in certamen & luctam, & (ut ita dicam) amplexum cum Deo congreditur, amplexantis, id est, luctantis fortius est nomen.* Dixerim, initam hanc luctam cum Christo crucifixo, qui extensis brachiis in Calvariæ stadio expectat, & ad martyrii certamen provocat Athletas suos. Proinde S. Hieronymus in Prologo galeato Bibliis præfixo addit: *Habacuc luctator fortis stat super custodiam suam, & figit gradum super munitionem suam, ut Christum in Cruce contempletur, & dicat: Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.* LXX. vertunt: *& posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ.* Sanè ut colluctatores suos constringeret dilectionis amplexu, ut sic ament partem certaminis, nec timeant perpessiones, & mortem.

Colluctatio cum Deo est martyrum ideo exoptatum, quasi Christi amplexum. S. Chryf. S. Hiero. S. Hiero.

1090 Et quidem licèt in hac colluctatione Dei cum Jacobo, & Martyribus, quodammodo Christus ipse inimici, & adversarii speciem præ se ferre videatur; re tamen vera valdè se familiarem, & propitium exhibet duabus præsertim in rebus. Alterâ in temperandis viribus suis, quibus fideles oppugnat: alterâ in tribuenda eisdem fortitudine, ac robore, quo recti atque integri in pugna perstent. Ut enim Paulus 1. Corint. 10. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id*

Deus colluctans cum Martyribus vires temperat suas.

Colluctatio Martyrum

id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum. Et in hoc potissimùm sensu dicitur Deus non potuisse luctando superare Jacobum, nec nostros etiam Martyres vincere. Præsertim cum è Cruce pugnat, ubi ejus vires attemperatæ, abscondita fortitudo, ac moderata; & unà simul adauctum robur, quo luctatores suos protegat, ac tueatur, ut quantumvis afflicti, & excarnificati, se fortes, & constantes præstent, & jactent.

1. Co. 10.

Quò spectant Oseæ verba cap. 12. 3. ubi de hac lucta Jacobea: *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & invaluit ad Angelum, & confortatus est.* Ubi, *directus*, perinde est, atque feliciter luctatus cum Angelo. LXX. efferunt, *prævaluit Angelo*, Tigurina translatio, *prævaluit Deo.* Et *dirigi* in sacris Scripturis est *prospere agere.* Psal. 139. 12. Vel si mavis, *directus est cum Angelo*, erit non succubuit Angelo; Deum ipsum, qui illum tormentis deiicere quodam modo conabatur, recto atque imperterrito vultu, & pectore infracto aggressus est, & superior ærumnis, imò & divino Numine, evasit. Eò enim spectabat Dei lucta, ut Jacobus vires sumeret, prævaleret, & vinceret: ut dicitur Sap. 10. 10. *Certamen forte dedit illi, ut vinceret.* Non enim luctæ finis erat, ut eum Deus in terram proiiceret, sed ut extolleret potiùs, & victoriæ palmâ & coronâ condecoraret, nova roboratum fortitudine, & constantia ex ipsismet laboribus emergente. Tostatum audi:

Os. 12. 3.

Sapi. 10. 10.

Abulen. *Percussit Angelus nervum Jacob, ut ei majorem faceret animum, & audaciam, quòd quamvis violenter percussus, & graviter dolens, non cessisset adversario, sed nihilominus, in luctando fortiter perseveraret.*

1091 Sic se Deus habuit cum Ecclesiæ Martyribus: non enim cruciatibus eos deiicere conabatur, sed extollere, novoque induere robore; ut quantò continua crudelitate vexabantur, tantò validiores, & triumphatores evaderent. Ut enim S. Cypria. de Laud. Mart. præclarè statuit. *Animari hominem dolore, quo credatur extingui, & id sibi in augmentum virtutis assumere, quod cruciatui putat prodesse qui punit.* Et est hoc, quod Paulus pronunciat 2. ad Corint. 12. 8. *Virtus in infirmitate perficitur.* Græcè pro *virtus*, est *potentia, fortitudo, robur.* Et v. 10. *Placeo mihi in infirmitatibus meis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo; cùm enim infirmor* (id est, affligor, & multa subeo adversa, diraque) *tunc potens sum:* tunc robustior, fortior, & validior fio, quia Deus ipse suas quasi moderatur & comprimit vires, & ut eas mihi suggerat, exerit. Audi Oecum. *Vides quòd dum imbecillis, aut infirmus erat, hoc est, in periculis, in contumeliis, in plagis, tunc potens erat, & clarior?* Et ad Hebræos 11. 34. ait idem Apostolus de veteris testamenti Martyribus, & justis multa in pietatis causa subeuntibus, *Convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello.* Vatablus effert: *validi facti sunt ex infirmitate.* Quod satiùs in nostros Martyres cadit, de quibus Sanct. Petrus Damian. uno adducto in exemplum S. Apollinare Martyre generoso, Ser. 32. de illius laudibus, ita fatur egregiè: *Insuperabilis miles est, cui virtus ex vulneribus crescit, ex minarum terroribus animositas surgit. Nova & inaudita pugna est, ubi peregrinus expugnat urbem, incolæ*

Oecum.

S. Cypri.

S. Per. Dam.

vivitatem, unus populum, imbellis cuneum, inermis aciem, persona deiicit legionem. Mirabilis, & stupenda victoria est, ubi vivit qui occiditur, surgit qui deiicitur, vincit qui superatur, & postquam mortuus fuerit, omnem adversæ partis aciem ad sui Imperatoris signa convertit. Quid egregius? Nil ultra ad rem hanc.

1092 Insuper Jacobei certaminis Præfecti, ac præsides extiterunt Pater, Filius, & Spiritus Sanct. qui palæstrici magistri extant in Martyrum nostrorum colluctatione. Inprimis Pater Aeternus *Agonotheta* Jacobo fuit, id est, præses numerarius, præmium proponens. Quod ex Sap. 10. 12. claret: *Certamen forte dedit ei, ut vinceret.* Ubi pro, *dedit*, est Græcè *brabeyo*, id est, guberno, propono, præmia distribuo, palmam fero, supero, vinco, quod erat Agonothetæ in certamine munus. Indè *brabeytes* dicitur dispensator, præfectus gymnicis ludis, designator latinè est, arbiter, sequester, qui distribuit præmia, nos dicimus *el brabo.* Talis extitit Deus Jacobo, extatque nostris Martyribus. De quo S. Hieronym. Epist. ad Lucinium Hispanum: *Non est invidus Agonotheta noster, nec alterius palma alteri parat ignominiam.* Et Cyrillus Alexan. de festis Paschal. Homil. 1. *Agonotheta justorum est Deus.* Habitum Agonothetæ describit S. Chrysost. Orat. de Baptis. Christi; dat enim illi in capite *coronam*; pro indumento *stolam*, in manibus *virgam.* Et ad rem maximè nostram tom. 1. Homil. de nativi. Septem Martyr. Machab. scribit: *Græcè Agonothetas vocant proponentes certamina; magnum muneris ambitum esse existimant, quando juvenes, & robustos luctatores in stadium introduxerint: unde prima ostentatione miraculum spectantibus præbeant.* Quod in Martyrum luctis resplendet maximoperè.

præmium certaminis proposítum à Patre. Sap. 10.

S. Hiero. S. Cyril. S. Chrys.

1093 *Epistates* gymnici hujus certaminis, id est præceptor, præfectus, est Christus Dominus humanâ indutus naturâ; non ut Jacobum, aut Martyres prosternat, sed ut pro illis, & cum illis pugnet, illis quadamtenus confertus, ut sic de laboribus & doloribus triumphos agant: *Ecce vir luctabatur cum eo,* ad protegendum, non ad expugnandum; ad corroborandum, non ad dejiciendum Athletas suos. Rectè proinde S. Chryso. loco proximè memorato sub Christi nomine loquitur: *Non. n. talis Agonotheta ego sum, ut certaminis exitium in aliquo certantium virtute constituam, sed ipse assisto luctantibus, & auxilium præbeo, & manum præbeo Athletis meis.* Similia videsis apud S. Cyprian. lib. de Laud. Mart. initio.

Christus adest suis decertantibus.

S. Chrys.

1094 *Xystarches* in hoc certamine est Spiritus Sanctus, qui Jacobo præfuit, & præest cruentis nostrorum Martyrum colluctationibus. Gymnasiarcha Xysti, seu stadii athletici Dominus. Inde Rupertus tom. 3. lib. de processione Spiritus c. 21. admirans Iacobi preces, & lachrymas in lucta, de quibus Oseas 12. 4. *Flevit, & rogavit*, ita loquitur: *Non potuit Deus se continere flente illo, & rogante, quin de multitudine viscerum suorum Spiritum paracletum infunderet in eum.* Imò, & flere Jacob, & preces fundere, ut par est, neutiquam potuit, quin haberet suæ colluctationis cooperarium Xystarchem Spiritum S. qui *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id est, facit nos postulare cum lachrymis.

Spiritus S. præest intimè Martyribus.

Ruper.

Ad Ro. 8.

Tertul. mis. Expendas modò pro noſtris Martyribus pulchra Tertull. verba lib. ad Martyras cap. 1. *Inprimis ergo benedicti nolite contriſtare Spiritum S. qui vobiſcum introiit carcerem : ſi enim non vobiſcum nunc introiiſſet, nec vos illic hodie fuiſſetis. Et ideo date operam, ut illic vobiſcum perſeveret, ita vos inde perducat ad Dominum.* Vides nequaquam potuiſſe ingredi martyrii ſtadium, & congredi cum hoſte Martyres, niſi ductore, & præſide Spiritu Sancto ? Vide S. Irenæum lib. 5. cap. 9. ubi de Spiritu Sancto cum Martyribus cooperario.

1095 Denique *bravium*, ſeu certaminis præmium proponitur *corona æternitatis* locus aſſignatus in ordine civium, qui in cælis eſt Angelorum ordo. Sapi. 10. 10. *Oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam ſanctorum* : id eſt, propoſuit præmium, quo invitat ad luctam, ad perferenda dira quæque conſtanter, quod eſt Sanctorum ſcientia. Sic etiam coronæ æternitatis oſtentatione, & incentivo incitati Martyres ſunt ad Deum vehementiùs amandum, & pro ejus amore martyrium ſubeundum. Qua de re infrà erit nobis ſermo, lib. 6. ubi de Martyrum præmio.

Corona triumphatorum Sapi. 10. 10.

CAP. XI.

De Martyrum Patientia abſolutiſſimâ, & perfectiſſimâ, elogia aliquot.

1096 ETſi hactenus dicta de Martyrum Fortitudine commendent ſatis illorum patientiam ; cùm virtus hæc nobiliſſimæ fortitudinis pars ſit, quæ in forti malorum, præſertim injuriarum, ſuſtinentia tantoperè elucet, idcirco ſeorſim hic nonnulla obſervari præſtat de ſingulari Martyrum patientia, de qua verè Antiochus Homil. 78. *Bonorum, ſi quæ in nobis ſunt, cardo, & caput, Patientia eſt.* Rem totam ſingillatim expendo.

§. 1.

Virtutum omnium agmen ducit Martyrum Patientia, ut vincat.

1097 INprimis cernas in una Martyrum Patientia virtutes reliquas quaſi in compendium redactas, miros ex ſe ſplendores emittere ; imò ipſam eſſe virtutum omnium miniſtram, ſequeſtram, & agmen ducentem, ut tandem vincat per martyrii præſertim opus, ad quod animosè incicat, & acuit. Audi Senecam Epiſt. 67. ad Lucilium ſapienter admodum ita ; *Cùm aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus utitur fortaſſe, cùm una in promptu ſit, & maximè appareat, patientia.* Sed omninò ſapienter, atque graviter Tertullianus in eodem argumento locuples lib. de Pati. cap. 15. *Quantum Patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem ? Nec immeritò. Omnia enim placita ejus tuetur ; omnibus mandatis ejus intervenit.* Quaſi dicat, meritò Deum locupletem debitorem Patientia habet, cùm ipſa ſit virtutum omnium ſequeſtra, quæ chariſſimæ ſunt Deo : *es laque tercia.* Narrat deinde placita Dei, quæ tuetur Patientia, & mandata, quibus intervenit. *Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adjuvat, humilitatem inſtruit, pœnitentiam expectat, exomologeſim deſignat, carnem regit, ſpiritum ſervat, linguam frœnat, manum continet, tentationes inculcat, ſcandala pellit, Martyria conſummat.* Nihil dici majus potuit : ut clareat una virtute Patientiâ duce, firmari fidem, pacem gubernari, in omni jurgiorum procella ; Regi-nam omnium virtutum charitatem adjuvari ; inſtrui humilitatem, uti diſcipulam magiſtrâ ; pœnitentiam expectari, ut perditum filium à matre amantiſſima ; carnem regi per abſtinentiam & jejunium ; ſpiritum ſervari tanquam in cuſtodia ; laſcivientem linguæ equum frœnari ; manum contineri à rapinis ; tentationes inculcari, ut nullam habere poſſint vim adversùs eum, qui libenter patitur injuriam ; ſcandala pelli, quæ in tormentorum perpeſſione, & fide abneganda eſſe poterant. Vides hæc ? In uno planè patientiæ lumine pulcherrima virtutum omnium lumina vides : vides & uni patientiæ virtuti virtutum omnium agmen attribui. Quorſum ergo tanta ſpectant lumina ? Quorſum tantus cum tanto exercitu Dux ? Certè, ut *martyria conſummet* : non enim ſine exquiſitiſſimâ Patientia virtutum omnium agmen ducente poterant Martyres tot contumelias pati æquanimiter, tot tamque immaniſſima tormenta ſubire generosè, & triumphatores evadere. Una illos Patientia cum ſuo agmine robuſtiſſimo eos acuit, & ad martyrium incitavit ſecuros de triumpho, ac de tanti operis conſummatione : *martyria conſummat.* Inde illud à Jacobo Apoſtolo datum Chriſtianæ Patientiæ elogium : *Patientia opus perfectum habet.* Syriacè eſt, *opus conſummatum.* Ut enim egregiè S. Zeno Veron. Serm. de Patientia, *Patientia non tantam in multiplicandis virtutibus laudem ponit, quàm in finiendis* : id eſt, perficiendis, conſummandis, ac ſi Patientiæ opus ſit ipſa operum abſolutiſſima perfectio, & conſummatio. Extrema martyrii imagini manus imponitur, dum per patientiam diu multum elaboratur : abſolutiſſima, & perfectiſſima apparet, diverſis virtutum omnium coloribus, & ſplendoribus, quaſi flucorum floribus, ſtudiosè perpolita. Conſonat S. Hieronym. de regulis Monachorum, ita præclarè : *Inde glorioſi teſtes* (id eſt, Martyres) *efficiuntur, dum fide pleni, dum Dei timore ſolliciti, dum continentiæ diſcipuli, dum filii ſpei, duce Patientia, reperiuntur.* Cernis patientiam ducere fidei, timoris, continentiæ, ſpei, ac reliquarum virtutum exercitum ? Planè ut ſic vincat in martyrii certamine, & Martyres efficiat per conſummationem martyrii. Proinde S. Gregorio lib. 16. Moral. rectè concludit ; *Qui à ſtatu Patientiæ corruit, ipſum ſibi teſtem eſſe non permanſurum ante gladios, oſtendit.*

Patientia, martyria conſummat & perficit. S. Zeno. S. Hiero. S. Greg.

Senec. Tertul.

1098 Præſtat etiam audire Tertullianum lib. de Pati. c. 13. ubi ſplendidè probat, neceſſariam non ſolùm animi, ſed corporis quoque patientiam ; atque hanc in Martyribus potiſſimùm relucere redundantem ab animi patientia illuſtriſſima. Et ſubtexit : *Cùm verò producitur ad experimentum felicitatis, ad occaſionem ſecundæ intinctionis, ad ipſum divinæ ſedis aſcenſum, nulla plùs illic quam Patientia corporis.* Ad quæ verba obſervo cum Tertulliani illuſtratoribus, *ſecundam intinctionem* appellari martyrium, ut ſit paſſim à Patribus ; nam poſt aquæ baptiſmum, hæc

Tertul.

Nulla plus in Martyrio virtus quam corporis patientia.

hæc altera ſanguinis intinctio. Deinde verbum *producitur* verbum eſſe putatur Athletarum, & militum, qui in medium adducuntur pugnaturi, ut fiat de illorum fortitudine experimentum, & aliis ſint exemplo. Producuntur ergò Martyres deſignari ad martyrii ſtadium, ut fiat de illorum religione periculum ; adducuntur ſplendidiſſimo ſtipati virtutum omnium exercitu, ut colluctentur, & vincant. Quænam, rogo, virtus in hac pugna agmen ducit, generoſiùs pugnat, caput exerit infracto pectore ? Utique, *Nulla plus illic, quàm Patientia corporis* ; ſine qua reliquæ virtutes infirmæ eſſent, & imbelles ; & non pauci ceſſerunt immanitati cruciatuum diuturniorum, ut obſervat S. Baſi. Homi. de 40. Martyribus : *Veluti in pelago naufragantes, quæ virtute patientiæ parta multorum annorum ſecum in navi vehebant, per impatientiam amiſerunt.* Deferendus ergò eſt uni Patientiæ in hoc certamine ducatus, imò & regia martyrii purpura, & corona. O quàm hæc virtus ad martyrium neceſſaria, & quàm in Martyribus longè latèque reſplendens !

Tertul. S. Baſi.

§. II.

Quanti habenda ſit Martyrum Patientia, oſtenditur in martyrio, veluti lydio in lapide.

1099 INmentem hìc venit quod Salomon Sapi. 2. 19. prædixit non ſolùm de Chriſto patiente, ſed etiam de Eccleſiæ Martyribus, ad quos verba extendunt Lyranus, Janſenius, Oſorius, Lorinus, & alii : *Circumveniamus Juſtum*, &c. (perditiſſimi aiunt homunciones, & Tyranni) *contumelia, & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus ; & probemus Patientiam illius ; morte turpiſſima condemnemus eum.* S. Bonav. explicat : *contumelia verborum.* Pro, *tormento*, eſt Græca vox *baſanos*, quæ ſignificat *lydium lapidem* indicem qualitatis auri ; *la piedra del toque.* Lapidem, cujus attritu fabri aurum vel argentum explorant, verum ne ſit, an adulterinum ; à verbo *baſanizo*, id eſt, diligenter examino, probo, torqueo, per quæſtionem extorqueo, exquiro, exploro. De hoc lapide, qui atrum, & ferreum habet colorem, interdùm rufum, Plinius ſcribit lib. 33. c. 8. *His cotulis periti, cùm è vena ut lima rapuerint experimentum, protinùs dicunt quantum aurum ſit in ea, quantum argenti, vel æris ſcrupulari differentia, mirabili ratione non fallente.* Tormento igitur contumeliarum, immaniſſimæ carnificinæ, & illatæ necis, veluti lydio lapide, exploratur Martyrum lenitas, manſuetudo, & patientia, quam idcircò auro aſſimilavit S. Lau. Juſtini. in ligno vitæ tract. 5. c. 2. *Eſt enim patientia veluti aurum.* Aiunt itaque ; *interrogemus eum*, id eſt, examinemus, per quæſtionem extorqueamus, diligenter exploremus : *ut ſciamus reverentiam ejus* : hoc eſt, *ut cognoſcamus manſuetudinem*, uti ex Græco vertunt Complutenſes, Vatablus, Guarinus, & Janſenius : *Et probemus patientiam illius* : id eſt, exploremus quanta qualiſque ſit ejus patientia in excipiendis injuriis non probroſis tantùm, ſed etiam damnoſis. Explorata abundè eſt contumeliis, & cruciamentis, quaſi lydio lapide atro, ferreo, rubro, ſcrupulari differentia, & mirabili ratione non fallente. Quid inde ? Eximiæ patientiæ valor deprehenſus eſt ; auream eſſe Martyrum Patientiam, & magnam ineſſe illorum venis (unde ubertim cruor efflUxit) auri hujus copiam experimento claruit. Nonne eximii pretii patientia illa eſt, quæ tot laceſſita convitiis, & tormentis, ea æquo animo excepit, quin ne unum quidem verbum retorqueret ? Magna planè habita eſt non ſolùm a fidei cultoribus, verùm etiam ab ipſimet Chriſtianæ religionis hoſtibus, Tyrannis, & carnificibus. Audi S. Ephrem Ser. 2. de Martyribus : *Tyrannis atque Judicibus verba defecerunt, Sanctorum Chriſti Martyrum fidem, atque conſtantiam, alacritatemque cum incredibili tolerantia, atque perſeverantia intuentibus*, &c. Videſis ibidem alia ad rem.

Sapi. 2. 19. Tertul. S. Bona. Plini. S. Ephr.

Martyrum patientia in martyrio divina apparuit.

1100 Addo, ita apparuiſſe ingentem, tamque eximii pretii Martyrum patientiam, ut videatur virtus hæc non hominis, ſed Dei. Rem expendo. Etenim martyrium Chriſti ignominioſum æquè atque acerbum, quaſi lydius lapis fuit ad explorandum an ejus patientia eſſet Dei, vel hominis, an humana, vel divina. Cùm enim animadverterent Judæi Chriſtum æquo animo tot probra & convitia ſubire, tot perferre infracto pectore cruciatus, tot ſummo Patri preces & lachrymas interponere pro perſecutoribus ; ex hoc lydio contumeliarum, & tormentorum lapide opportunè ſunt ratiocinati ; hæc non ſolius hominis patientia eſt, ſed Dei ; non humana ſolùm, ſed divina. *Videns autem Centurio, qui ex adverſo ſtabat* (quaſi explorans Chriſti patientiam) *quia ſic clamans expiraſſet* (ſic, id eſt, patienti perpeſſione) *ait verè Filius Dei erat iſte.* Marc. 15. 39. Nec ſolùm Centurio, ſed multa Judæorum millia (ut Gloſſa obſervat ad Iſaiæ c. 53. 12.) Chriſtum agnoverunt, confeſſique ſunt verum Deum, & hominem. Unde hæc agnitio, & confeſſio ? Quia videlicèt ad irrogatas injurias, & cruciamenta, patientiſſimus fuit. Verbera cernebant, ſpinas, ſputa, contumelias, clavos, cruciatus : hominem ex his putabant tantùm : cùm verò illum vident patientiâ admirabili hæc perferentem, rectè concludunt, hæc ſolius Dei patientia eſt. Rectè proinde Tertullianus incredulos Judæos alloquens lib. de Pati. c. 3. *Hinc vel maximè, Phariſæi, Dominum agnoſcere debuiſtis : patientiam hujuſmodi nemo hominum perpetraret.* Preme illud, *hinc vel maximè.* Quaſi inter omnia Chriſti miracula ſtupore plena, & alia ejus opera omninò mirabilia, hoc unum extiterit majus, patientiæ divinæ, & patientis Dei experimentum ; quòd fuerit contumeliarum, & tormentorum patientiſſimus. Conſonat S. Cypri. lib. de bono Patientiæ : *Inter cætera admirabilia virtutum, quibus indicia divinæ majeſtatis expreſſit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore ſervavit.*

Mar. 15. 39. *Chriſtus agnoſcitur Deus in Cruce patientiſſimus.* Tertul. S. Cypri.

1101 Sed redeo ad Tertullianum : cur, quæſo, *Patientiam hujuſmodi nemo hominum perpetraret* ? Nonne homines hanc laborum ſuſtinentiam habere poſſunt ? Nonne perpetiendo, tolerandoque poſſunt ſe integros patientiæ ſervare ? Cur illa Chriſti patien-

Tertul.